1864. VII.
MEDIC. IV.

DE QUIBUSDAM CATARACTAE OPERATIONIBUS ET DE TRACTATIONE POST PERFECTAM OPERATIONEM ADHIBENDA.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE GRATIOSISSIMI MEDICORUM ORDINIS

IN ACADEMIA CHRISTIANA-ALBERTINA

PRO SUMMIS IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS

RITE IMPETRANDIS

SCRIPSIT

JOHANNES FRANCISCUS GOTTLIEB SCHOENHEYDER

VIBORGENSIS.

KILIAE.

EX OFFICINA C. F. MOHR.

MDCCCLXIV.

Imprimatur:

Litzmann,

h. t. Dec.

Hac dissertatione collectis aliquot speciminibus ostensurus sum qui sint extractionis eventus et quamquam operatio bene perfecta sit quomodo eventus in deterius verti possit. Ipsa extractio nostris temporibus saepissime instituta est tum quod experientia edocti sumus illam si qua alia methodus optimum eventum praebere tum quod ad omnes formationes omnemque aetatem praeter primam infantiam applicari potest. In tractatione autem et inter operationem et post operationem factam magistrum meum Arltium quem honoris caussa nomino secutus sum cujus descriptio tam amplissima quam praestantissima operationis cataractarum in ejus libro qui inscribitur 'Handbuch der Augenheilkunde, Prag. II. Bel. 1857' inest. Atque in tractandi ratione inter ipsam perficiendam operationem adhibenda prorsus a viro doctissimo sto: sed quae post operationem perfectam instituenda sit de ea quae observarim post exponam.

Longum vero cum sit operationis hujus historiam enarrare unum quod constat jam Celsi tempore factam esse monuisse sufficiat. Cujus et exactissima est descriptio et methodum ad decimum octavum seculum usque medici amplexi sunt: quo tempore reclinatio et extractio inventae sunt utraque initio pari successu instituta. Sed quam Willburgius (1785) reclinandi methodum publicavit quamquam etiam hodie qui eam adhibeant sunt tamen quia periculosior est quam ulla alia methodus improbanda est. Extrahendi autem rationem Daviellus (1748) docuit: cornea cultro lanceolato deorsum incisa duabus curvis forficibus utramque partem incisurae dilatavit et capsula ex aperta cataractam cochleari exhausit. Nec tamen cum Richter (1773) evitandam esse incisionem dimidium corneae circulum excedentem ostenderit (id quod rei ipsius successus probavit) quia Daviellus duas tertias corneae partes incidit haec extrahendi ratio assensum medicorum merita est. Incisionem sursum factam deorsum factae praestare Rosas (1827) et Jaeger (1830) contenderunt: sed quibus hanc sententiam stabilirent quae protulerunt argumenta ea experimentis adeo non probata sunt ut jam

iucisio deorsum facta (v. Graefium Arltium) praeferri soleat. Discidendi denique rationem Conradus (1797) commendavit: cataractam acu per corneam illisa incidit ut substantia mollis in anteriorem oculi cameram egredi dissolvique posset. Hanc methodum quae tamen non nisi ad cataractam mollem adhiberi potest Graefius (1856) correxit docens substantiam mollem lineari corneae incisione facta statim exhauriri posse. Quae correctio si ad extrahendi methodum refertur affirmare ausim extractionem quae partim in incisione convexa (i. e. in extractione totali) partim in incisione lineari (i. e. in extractione partiali) posita est optimum eventum praebere et in plerisque casibus adhiberi posse.

Jam casus in quibus hanc methodum adhibui et tractationem quae subsecuta est describam.

Specimen I.

H. R. agricola annum 60 agens bona valetudine. Cataracta senilis matura utriusque oculi duobus annis abhinc orta est.

Anno 1857 prid. K. Maj. sinistri oculi cataracta extracta est. Aegroti in sella sedentis palpebram superiorem adjutor tenuit. Iam deorsum manu dextra dimidia cornea incisa acu decussatim capsulam incidi: exiit cataracta leviter palpebra inferiore presas.

Iris bene contrahebatur: in pupilla substantiae corticalis nonnulla restabant residua: lobus corneae bene coibat: oculis tres scidulae Empl. adhaer. Angl. applicabantur. Quinto die post operationem perfectam oculus inspicitur. Vulnus superius bene sanatum erat: sed inferius minus coierat ubi iris admodum prolapsa erat. Conspicit manum praetensam. Iridis prominentia Laudano tingitur.

Jam cum res optime succedere videretur decimo die pneumonia orta est qua quarto decimo die post factam operationem absumta est.

Specimen II.

R. A. quadratarius annum 46 agens habitu sanus sed potator.

Oculi dextri senelis cataracta matura erat: incipiebat sinistra cataracta: orta aerat sexto anno abhinc. Iris normalis erat.

Anno 1858 a. d. III K. Maj. dextri oculi cataractae extractio facta est. Sedens pone aegrotum in sella sedentem sursum dimidiam corneam incidi: deinde capsula acu decussatim incisa cataracta palpebra leviter pressa prodiit. Iris bene contracta est. Manum conspicere aegrotus recteque digitorum numerum praetentorum dignoscere potuit. Oculo tres scidulae empl. adh. Angl. applicabantur.

Quinto die post oculus inspicitur. Vulnus sanatum: iris normalis: pupilla nigra.

Quarto decimo die post factam operationem deambulatum ivit aegrotus tertiaque hebdomade restituto visu dimissus est. Sed cum altero mense post per totam horam ejus visus pariete albo sole collustrato fatigaretur inde quae oriebatur iritis cum nullis remediis impugnaretur factum est ut pupillae atresia oriretur.

Specimen III.

P. vidua 70 annum agens habitu sana sed saepius rheumaticis doloribus ex altera capitis parte vexata.

Utriusque oculi senilis cataracta matura octovo abhinc anno orta est. Cataracta est grisea cum splendidis radiis. Iris normalis.

Anno 1858 a. d. VIII. K. Jun. sinistri oculi cataracta extracta est. In sella sedens pone aegrotam solo sedentem sursum corneae incisionem feci: deinde capsula aperta cataractam facile extraxi. Margines vulneris bene coiverunt: iris contracta est. Vidit aegrota manum praetentam recteque digitorum numerum indicavit. Oculo tres scid. Empl. adh. Angl. applicabantur.

Quinto die post oculus inspicitur. Dolores rheumatici interdum orti sunt aegrotam satis vexantes: sed jam vehemens inflammatio observatur: scleroticae conjunctura crassa et rubra videtur quasi anulus circa corneam jaceat. Cornea semipellucida: margines vulneris non adhaerentes linea prominent. Pupilla et iris propter albam exsudationem inspici non possunt.

Hirud. temp. VIII.
Pulv. alterant gr. ij.
ter. hor. p. IV. dies.

Quamquam inflammatio retardata est tamen cornea destructa est eoque visus deletus.

Specimen IV.

L. nupta annum 58 agens bona valetudine.

Cataracta senilis corticalis posterior oculi dextri octavo abhinc anno orta est. Amaurosis oculi sinistri.

Cataractae forma erat mira et post semipellucidam obfuscationem cum radiatis passim lineis irregularem subflavum orbem praebuit. Visus imminutio ut manum illa videre, digitorum numerum non indicare posset proximis annis immutata erat.

Anno 1859 a d. IX. Id. Ian. dextri oculi cataractae extractio facta est. Corneam aegrotae in sella sedentis sinistra manu deorsum incidi. Bene cataracta prodiit et lobus bene coivit. In exemptae cataractae posteriore superficie flava descriptio conspiciebatur. Pupilla non prorsus nigra erat. Oculis applicabatur

una scidula empal. adh. Angl.

Quinto die post oculus inspicitur. Lobus bene adhaeret: pupilla nigra: iris normalis. Paucis diebus post diligentius oculo inspecto tenue rete in pupilla eandem quam supra descripsimus speciem praebens conspicitur. Iam rete extenditur visusque convalescit.

Atropin. s.
gtt. un. cotidie p. VII. d.

Tertia hebdomade post visus adeo restitutus erat ut aegrota sine auxilio ire posset.

Missa igitur est: proximis sex hebdomadibus bis per hebdomadem usa est

Atropin. sulph.

sed cum visus hebetudo ne tum quidem sublata esset sexto post illam operationem mense acu membranae foramen feci: jam quarto decimo die post is fuit visus ut hominis vel duodecim gradus distantis faciem cognoscere posset.

Specimen V.

L. R. agricola 58 annum agens habitu sano.

Cataracta senilis utriusque oculi: dextri oculi matura cataracta quarto abhinc anno orta est.

Anno 1854 a. d. III. R. Mart. cataracta dextri oculi extracta est. Deorsum enim cornea incisa facile cataracta extracta est: iris factis visus experimentis contracta est. Manum praetensam conspicit recteque digitorum numerum distinguit. Empl. adh. non impositum est sed in utroque oculo duo linteola quadrata collocata sunt: idemque in reliquis casibus factum est. Quinto die post oculus inspicitur. Lobus sursum bene adhaesit minus deorsum ubi iris paullum prominet. Propter prominentem iridem ordinavi

Laudani gtt. j per diem

quo iris restituta est. Ora pupillaris iridis vulneri corneae adhaesit quod altius ab limbo deorsum incisa erat. Ceterum hoc visui adeo non offecit ut is tertia hebdomade post restitutus esset.

Specimen VI.

C. A. agricola 37 annum agens habitu sano.

Accreta dextri oculi cataracta erat: sinistra cataracta incipiebat. Accreta ante quindecim annos orta est. Pupilla hujus oculi non nisi sursum et extrorsum dilatari potest et in recessu candidam unicolorem obfuscationem praebet: reliqua ora pupillaris tenui membrana clausa est quae proxima molli cataracta albescit: visus tam hebes est ut vix diei noctisque vices percipiat.

Anno 1859 a. d. II Non. Mart. operatio facta est. Adhibito chloroformo cultro lanceolato manu sinistra gesto deorsum minorem corneae incisionem feci: deinde acu capsulam aperui et quae pupillae adhaerent relaxavi: coepit mollis cataracta prodire. Tum iris deorsum et extrorsum forcipe minore ora pupillae prehensa et pars exempta atque detonsa est. Cum autem cataracta durior esset cultrum ei intuli incisionemqne introrsum ad longitudinem duarum linearum produxi. Iam cataracta prodiit cohaerens quidem non tamen tam firma quam senilis cataracta. Pupilla nigra fuit: lobus bene coibat. Visus experimenta satisfecere.

Post quinque dies vulnus sanatum erat: pupilla nigra: Subsecuta tractatio bene successit. Photophobia ad quartam hebdomadem mansit: sed visum mihi persuasum

est multo meliorem redditum fuisse nisi detonsa pars iridis usque ad limbum periphericum prolapsa esset.

Specimen VII.

M. P. annum 64 agens. sano habitu.

Cataracta utriusque oculi senilis: matura sinistri oculi cataracta duodecimo abhinc anno orta est. Cataracta matura est grisea unicolor nec splendorem nec radios praebens.

Anno 1859 a. d. 12 R. Apr. sinistra cataracta extracta est. Deorsum cornea incisa cataracta facile prodiit: iris visus experimentis factis bene contracta est.

Quinto die post oculus inspicitur. Lobus non prorsus adhaesit: itaque iris ceterum normalis peripherico limbo paululum prolapsa est: in pupilla cum nonnulla substantiae corticalis residua insint ordinantur

Laudan. gtt. j

Atropin. sulph. gtt. j

quotid. p. vij dies.

Iridis prolapsus cum non recedat tangitur

Lap infern.

quo ter quaterve adhibito vulnus sanatum est. Tertia denique hebdomade cum visus restitutus sit aegrotus est missus.

Specimen VIII.

M. A. rustica. 61 annum agens.

Dextri oculi matura cataracta sinilis: atrophia sinistri post reclinationem ante tres annos orta. Aegrota sano habitu proximis tribus annis capitis vehementissimis doloribus rheumaticis affecta est. Cataracta per quatuor annos duravit.

Anno 1859 Id. Apr. dextra cataracta extracta est. Deorsum dimidia cornea incisa cataracta facile prodiit: iris in vulnus prolapsa superiore palpebra mulsa contracta est. Cornea quamquam lente extenditur sulcus tamen transversalis restat. Aegrota manum conspicit numerumque digitorum praetentorum recte distinguit. Proximis quinque diebus doloribus alterius capitis partis laboravit qui tamen evanuerunt sine ullo remedio. Sed quamquam nec dolebat oculus nec palpebrarum tumor observabatur tamen inspecto oculo gravis iritis simulque pupillae exsudatio conspicitur: nec lobus corneae adhaesit sed sursum linea prominuit. Conjunctiva scleroticae tumida est sicut annulus circa corneam etiamtum semipellucidam

Monoculus

Hirudd. temp. VIII.

Cum res per proximos tres dies immutata esset conjunctiva scleroticae circa corneam illinitur Lap. infern. quo efficitur ut et inflammatio valde remittat et cornea pellucida maneat. Sed pupilla exsudatione clausa est nec prosper operationis eventus

efficitur. Quo rursus edocemur gravem iritidem etiamsi non fortis sit reactio oriri eamque ob causam eo periculosiorem fieri posse.

Specimen IX.

N. P. 65 annos nata. sano habitu.

Utriusque oculi senilis cataracta: matura dextri oculi cataracta ante septem annos orta est. Color cataractae est unus isque griseus. Aegrota uti manum videt ita digitorum praetentorum numerum distinguere non potest.

Anno 1859 a. d. 2 Jd. Jun. dextra cataracta extracta est. Primum deorsum incisio facta est: dein decussatim capsula incisa cum aegrotam animus deficere inciperet parvum poculum frumenti spiritum continens datum est. Cataracta facile prodiit bullaque irrepta Davielli cochleari exhausta est. Cornea autem p.imum immota mox post horae quadrantem eo extensa est ut parvus tantum sulcus transversalis restaret. Quinto die post oculus inspicitur. Dolores evanuerunt.

Epill. frig. cap.

Jam vulnus sanatum pupilla nigra et iris normalis. Quibus post saepius laboravit doloribus rheumaticis altera capitis parte ii semper eodem remedio sublati sunt. Tertia hebdomade restituto visu missa est mulier.

Specimen X.

M. D. mercenaria 53 annos nata.

Accreta utriusque oculi cataracta: accrevit autem per octo annos. Anterior oculi camera imminuta est: iris convexior quam in statu normali. Pupilla substantia quadam alba grani milii magnitudine obturata est quae in dextro oculo latiore limbo circumdata est: quo fit ut ejus visus is sit ut notis locis sine ullo duce ire possit. Sinistro autem oculo uti manum videt ita digitorum praetensorum numerum distinguere non potest. Praeter id unum quod rheumaticis doloribus saepius laborat satis valet.

Anno 1859 a. d. VI. Jd. Maj. sinistri oculi operatio perfecta est. Quarta circuli corneae parte cultro lanceolato incisa iridis forcipe minore extrorsum deorsumque comprehensae partem exemi atque detondi. Jam capsula decussata incisione aperta vulnus corneae cum minus esset quam ut cataracta emitti posset curva forfice in utramque partem extensum est. Tandem mollis cataracta quae medio durior erat palpebra leviter pressa prodiit. Lobus bene coivit: aegrota et manum cognoscit et digitorum numerum recte distinguit.

Dolores per proximos quinque dies continui leniti sunt usu.

Epilh. frigi cap.

Jam dolores sedati sunt vulnusque sanatum. Pupilla nigra videtur sed luce admota rete filiforme animadvertitur quo nec doloribus neque ullo iritidis indicio orto vel sexto hebdomade pupilla clausa est.

Specimen XI.

M. A. vidua. 70 annos nata bona valetudine

Utriusque oculi matura cataracta senilis ante octo annos orta est grisea et splendens. Iris normalis. Praesente blepharitide ciliari soluta.

Anno 1859 a. d. VIII. Jd. Aug. sinistra cataracta extracta est. Deorsum cornea incisa cum aegrota timidissima esset adjutorem dum capsulam sectione decussata inciderem superiorem palpebram levare digito jussi: en subito (premente, credo, illo bulbum) prius quam inciderem ultro cataracta prodiit. Iris bene contracta est marginesque vulneris coierunt: pupilla prorsus nigra: experimentum visus nobis satisfecit.

Quinto die post vulnus sanatum est: quae substantiae corticalis residua in pupilla inerant soluta sunt

Atropin. sulph.
glt. j quotid.
per VII dies.

Tertia hebdomade visu restituto mulier missa est.

Specimen XII.

F. M. mercenarii filius 9 annos natus. bona valetudine. Cataracta capsularis anterior congenita sive pyramidalis oculi utriusque. Pupilla dilatata est: in media lente album corpusculum et peripheriam versus radii obturati conspiciuntur. Obfuscatio centralis anterioris oculi camerae velut conus prominet. Tota obfuscatio unam lineam distata margine pupillari major in sinistro oculo: quare manum aegrotus conspicit praetensam.

Anna 1859 Jd. Jun. operatio dextrae cataractae facta est. Aegroto chloroformo sopito postquam quartam corneae partem incidi primum hamulo deinde forcipe obturationem tentavi: sed cum mollior esset substantia partem tantum illis instrumentis exhaurire contigit: quae restabant cum per se dissolutum iri sperarem ab experimentis abstinui. Ordinavi

Epilh. frig. cap.
Atrop. sulph. gtt. i
cotid.

Quinto die cum oculum inspicerem iris in vulnus prolapsa erat: nec tamen conjunctiva inflammata erat nec cornea. In pupilla lentis particulae discisae inerant. Pars iridis prolapsa detondetur.

Vulnus bene sanatum est nec non corneae pelluciditas restituta: sed pupilla quamvis atropinum fortiter adhibitum sit cum iris et cataractae residua inter se coaluissent clausa est.

Specimen XIII.

M. P. rustica. 34 annos nata. bona valetudine

Accreta dextri oculi cataracta; sinister oculus integer erat. Cataracta ante quinque annos orta. Anterior oculi camera imminuta est: iris paulo convexior quam in statu normali cataractae margine pupillari adhaesit. Cataracta grisea unicolor: pupilla immutabilis. Visus hujus oculi tam hebes est ut aegrota vix diei noctisque vicis percipiat.

Anno 1859 a. d. III Rat. Jul. operatio facta est. Manu sinistra incisionem paullulum supra quartam corneae partem extendi cultrumque $1\frac{1}{2}'''$ a margine corneae pone iridem deinde ante eandem duxi ut lobum exciderem. Ultro mollis cataracta prodiit. Pupilla nigra est: lobus bene coit: cornea autem per quadrantem horae rugata erat. Quinto die post (per quod tempus nullis doloribus aegrota vexata erat) oculus inspicitur. Pupilla admodum nigra formam literae C praebet: in eadem accuratius inspecta rete filiforme animadvertitur. Visus jam melior est quam ante operationem perfectam ut recte aegrota digitorum praetensorum numerum distinguat. Illinitur palpebra superior

Ung. hydr. prae. all. gr. jjj. dr. j
Extr. Hyosc. grv. j
ter cotid.

Cum per proximas duas hebdomades exsudatio minui videretur pupillae visusque acrior fieret aegrota domum remissa est. Sed sexto mense post cum iterum eam viderem pupilla paulatim obturata erat.

Specimen XIV.

K. O. rustica. 16 annum agens. bona valetudine. Mollis dextri oculi cataracta: amaurosis sinistra. Cataracta qninto anno abhinc orta alba subcaerulea unicolor erat. Dextro oculo manum praetensam conspicit: sinistro nihil percipit.

Anno 1859 a. d XV Kal. Ang. dextra cataracta extracta est Deorsum cultro lanceolato sinistra manu gesto quartam corneae partem incidi deinde acu decussatam capsulae incisionem feci: jam cataracta effluere coepit: quae restabant Davielli spatula exhausta sunt. Pupilla nigra: iris contracta est. Aegrota manum conspicit recteque digitorum numerum indicat.

Quinto die post oculus inspicitur. Lobus bene adhaesit: pupilla nigra: iris normalis

Tertia hebdomade post restituto visu missa est.

Specimen XV.

R. J. vidua. 41 annos nata. bona valetudine.

Cataracta senilis utriusque oculi: dextri oculi cataracta matura est grisea unicolor.

Anno 1859 a. d XIV. Kal. Jun. dextra cataracta extracta est. Deorsum corneae incisione facta cum cataracta capsula incisa non prodiret vulnus corneae forfice in utramque partem dilatavi: quo effectum est ut cataracta facile emitteretur. Iris tandem contracta est marginesque vulneris bene coiverunt. Visus experimentum nobis satisfecit Quinto die post oculus inspicitur: vulnus corneae fere sanatum ut parva tantum iridis pars promineat ordinavi igitur.

Laud. gtt. j
cotid.

et sexto die post

Lap. inf.

jam vulnus prorsus sanatum erat. Quarta igitur hebdomade restituto visu aegrota domum remissa est.

Specimen XVI.

M. L. rustica. 71 annos nata. bona valetudine. Matura dextri oculi sinistri immatura cataracta senilis ante decem annos orta: grisea est nec splendet. Dextro oculo aegrota vix manum nostram praetensam conspicit.

Anno 1859 a. d. X Kal. Sept. dextra catracta extracta est. Deorsum manu sinistra corneam deinde capsulam incidi. Cataracta facile prodiit. Lobus bene coivit sed cornea media non extensa est et post quadrantem horae demum nigra pupilla extensa est et iris contracta.

Quinto die post cum inspiciatur oculus vulnus bene sanatum pupilla nigra iris normalis.

Tertia hebdomade post mulier visu restituta domum reversa est.

Specimen XVII.

F. H. agricola. 66 annos natus.

Matura utriusque oculi cataracta senilis ante quinque annos orta grisea est nec splendet. Iris normalis. Vix manum praetensam videt et ambulans duce utitur. ceterum valetudine bona.

Anno 1859 prid. K. Sept. sinistra cataracta extracta est. Deorsum dextra manu cornea incisa capsulae decussatam incisionem feci: cataracta leviter inferiore palpebra pressa prodiit. Iris admodum prolapsa palpebris mulsis contracta est: pupilla nigra est. Conspicit aegrota manum oppositam recteque digitorum numerum indicat.

Quinto die vulnus sanatum: in pupilla quae substantiae corticalis inerant residua adhibita Sol. Atrop. sulph.
gtt. j cotid.
soluta sunt ut tertia hebdomade post restitutus visu domum homo remissus sit.

Specimen XVIII.

J. M. P. rustica. annum 36 agens. bona valetudine. Cataracta utriusque oculi stationaria (Arlt.) sive stratiformis (Graef.) quam aegrota refert congenitam esse. Obfuscatio lentis unam lineam a margine pupillari distans medio condensata radiis versus peripheriam fusis animadvertitur: anterior lens normalis est. Utriusque oculi eadem conditio. Aegrota vix oppositorum digitorum numerum distinguit: sed notis locis sine duce ambulat.

Anno 1859 a. d. VII K. Oct. sinistra cataracta extracta est. Cum timidior esset aegrota chloroformo sopita est. Deorsum quarta corneae parte manu dextra incisa decussataque capsulae incisione facta facile mollis cataracta prodiit. Quae residebant Davielli cochleari exhausta sunt. Iris bene contracta est: pupilla nigra fuit: lobus bene coivit.

Dolores interdum oborti dato Epill. frig. cap.
sedati sunt.

Quinto die cum oculus inspiceretur vulnus sanatum: iris normalis: in pupilla quae substantiae corticalis residua restabant solvebantur

Sol. Atrop. sulph.
gtt. j
cotid per VIII dies.

Tertia hebdomade visu restituta domum mulier remissa est.

Specimen XIX.

A. R. rustica. 65 annum agens.

Ad maturam utriusque oculi cataractam senilem ante octo annos ortam sinistra amaurosis accessit. Aegrota bona ceterum valetudine saepius rheumaticis faciei doloribus vexatur.

Anno 1859 a. d. VIII Id. Septbr. dextra cataracta extracta est. Cataracta deorsum corneae manu sinistra incisione facta capsulaque ter incisa prodiit: substantia corticalis prope fluida fuit. Aegrotam cum saepius animus deficeret dabantur bis

Liq. nerv. gtt. XXX

quibus vires restitutae sunt. Iris bene contracta est et pupilla nigra fuit: sed cornea nec post quadrantem horae extensa.

Quinto die oculus inspicitur. Ad dolores obortos sedandos usa erat

Epill. frig.

Pars vulneris bene coaluerat: sed infra iris paululum prominuit

Laud. gtt j cotid.

Ad residua substantiae corticalis quae in pupilla conspiciebantur solvenda dabatur

Lol Atrop. sulph.
gtt. j per VII dies.

Tertia hebdomade visu restituta remissa est mulier.

Specimen XX

H. J. agricola. 61 annos natus.

Matura dextri oculi crescens sinistri cataracta senilis quarto abhinc anno orta est Dextro oculo vix manum oppositam videt: sed sinistri ea est conditio ut sine duce ambulare possit. Cataracta grisea et unicolor est. Aegrotus bona ceterum valetudine rheumaticis faciei doloribus nuper obortis vexatur.

Anno 1859 K. Febr. dextrae cataractae extractio facta est. Deorsum cornea incisa capsulae incisionem feci: quam breviorem fuisse suspicor cum difficilius prodiret cataracta: prodeuntem secuta est parva vitrei humoris quantitas. Iris bene contracta est; pupilla prorsus nigra fuit: lobus bene coivit. Dolores nonnumquam orti oculorumque lacrimatio leniebantur Epithem. frig. exp.

Sexto die superius vulnus sanatum minus inferius ubi iris limbo peripherico paululum prolapsa est. Quod sublatum est datis Laudan. gtt. j. cotid. pupilla ab altera parte ovalis unde lux ut oculum paululum praestringeret factum est: ceterum visus restitutus est.

Hoc igitur his operationibus effectum est ut quatuordecim hominibus visus restitutus sit: e ceteris sex unus pneumonia absumtus est: duobus cornea visusque destructa sunt: trium reliquorum pupilla iritide clausa est. Causa adversi eventus cum in eo versetur quod ad cataractam rheumatici capitis dolores accesserunt dubito num medicamentis tolli possit. In accreta autem cataracta operationem credo esse repetendam donec tantum iridis excisum sit ut pupilla obturari non possit. Nova est tractatio post perfectam operationem adhibita quod oculi non emplastro operiuntur sed linteolum quadratum in iis ponitur fascia frontali astrictum. Oculos enim operire uti non opus esse his exemplis edocemur ita nociturum esse crediderim quod lacrymarum delapsus impeditior eo fit. Neque aegrotus etiamsi imprudenter oculos aperiat obscuro conclavi visu uti poterit et margines palpebrarum cum statim adhaerere cognoverim impediunt quominus aperiat.

Ceterum magni interesse credo dolores proximos intra quinque dies ortos observare ut si dolores constare vel crescere videntur epithema frigidum capitis imponatur. Quod remedium justo tempore et recto modo applicatum optimum facillimum ad adhibendum nusquam fere non sufficiens esse mihi persuasum est.

T H E S E S.

1. In difficilioribus cataractae casibus iridectomia ante extractionem perficiendam adhibenda est.
2. Etiam ad primam infantiam inter operationem chloroformum adhibere licet.
3. Lentis vulnere punctim inflicto obfuscatio non oritur.